

*Doc. 8 (Scriptum est eidem
[iustitiario Basilicate] etc.
Fidelitati tue firmiter et expresse...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 8 (Scriptum est eidem
[iustitiario Basilicate] etc.
Fidelitati tue firmiter et expresse...)*

1277-05-17

Scriptum est eidem (iustitiario Basilicate) etc.

Fidelitati tue firmiter et expresse precipimus, quatenus statim receptis presentibus, facta diligenti et sollempni extimatione de hiis que in domibus marescallie equitaturarum nostrarum et illustris regine Sicilie carissime consortis nostre, site apud Lacumpensulem, tam in muris et presepiis, quam in tecto necessaria reparatione reparanda sunt et pro quanta quantitate pecunie reparari poterunt et domus ipsa poterit cohoperiri, opus huiusmodi concedendum fore per te ad extaleum pro parte nostre curie facias subastari in Melfia, Venusio et aliis locis famosis vicinis, et si apparuerint aliqui qui domus easdem accessoria reparatione et cohopenitura ad extaleum velut reparari facere et cohoperiri pro illa quantitate pecunie, ad quam extimatio ipsa ascenderit, vel pro minori, opus ipsum eis pro parte curie, nostre concedas, et recepta ab eis sufficienti fideiussoria cautione, quod opus ipsum decenter et bene infra certum et competentem terminum fieri faciant et compleri, eisdem extalleriis pro ipso opere celeriter faciendo et complendo successive, sicut in eodem opere procedetur pecuniam, que eis pro opere ipso conventa fuerit de quacumque pecunia curie que est etc. et in defectu alterius pecunie de pecunia presentis generalis subventionis terris iurisdictionis tue imposita, non obstante aliquo mandato huic contrario, debeas exhibere recepturus de hiis que propterea dederis ad tui cautelam ydoneam apodixam, et instes ac instari facias apud, predictos extallerios, quod opus ipsum decenter et bene infra terminum ad hoc prefigendum, ut dictum est, fieri faciant et compleri, factis de extaleo ipso tribus scriptis puplicis consimilibus, continentibus

formam presentium et singula que in domibus ipsis tam in muris et presepiis quam in cohoptura reparanda et facienda fuerint, nomina et cognomina extalleriorum ipsorum, quantitatem pecunie que convenietur eis pro extaleo ipso et nomina fideiussorum, quos receperis ab eisdem, quorum uno tibi retento, alio extalleriis ipsis dimisso, tertium magistris rationalibus magne curie nostre sine mora transmittas. Si vero non apparuerint aliqui, qui opus ipsum velint ad extaleum fieri facere, factis de extimatione predicta duobus scriptis puplicis consimilibus, harum seriem, nomina et cognomina extimatorum, ea que in predictis domibus tam in muris et presepiis quam in cohoptura reparanda et facienda fuerint, et pro quanta quantitate pecunie fieri et reparari poterunt, continentibus, quorum unum tibi retineas et aliud dictis magistris rationalibus instanter transmittas domus ipsas tam in muris et presepiis quam in cohoptura et tecto de supradicta pecunia reparare et copriri facias sine mora, ita quod omnes expense, quas propterea necessario fieri oportuerit, fiant presenti et sciente Stephano de Aureliano vallecto marescallie nostre, quem ad hoc propterea destinamus, et nichil indeconscientiam suam lateat quel vallectum in extimatione ipsa volumus personaliter interesse, et expensis omnibus que fient pro opere ipso, fient duo quaterni consimiles, continentes quantitatem pecunie que soluta fuerit pro quibuscumque rebus et servitiis necessariis pro opere ipso. Cognomina illorum quibus soluta fuerit, tempus, locum et causam solutionis particulariter et distincte, unum videlicet per te vel statuendum loco tui, de quo tamquam de to ipso confidas, qui sigilletur sigillo dicti Stephani et alterum per eundem Stephanum qui sigilletur sigillo tuo ut de

utroque quaterno tue rationis tempore debita collatio fieri possit, nichilominus de omnibus, que propterea dederis, recipias ad tui cautelam ydoneas apodixas per te in tuo ratiocinio producendas, et utrum opus ipsu cedatur, vel quod fiat per te vel statuendum loco tui cum expensis Curie nostre, super reparatione et copertura ipsarum domorum procedas et procedi facias, iuxta provisionem ut designationem dicti Stephani marescallie nostre vallecti, processum vero tuum totum, quem in hiis habendum duxeris, particulariter et distincte celsitudini nostre, nec minus predictis magistris rationalibus in continenti significare procures.

Datum Venusii septimo decimo madii quinte indictionis (1277).